Quaestio Medica Cardinalitiis Disputationibus agitanda In Scholis Medicorum

Die Jovis 5 Idus Mart. M. Joanne Martin Moderatore sapientiss.

An alia Nutritionis In Ægrotantibus, quam per os via? 232

Animanti perfecto in quo Jactura perpetua, quae sit humidi radicalis potu ciboque reparanda, ingressum et viam cibariis in corpus admittendis natura os concinnavit. Unde per vias quidem, alias publicas et communes omnium nutrimentorum, alias privatas et angustas alimentum ad singulas corporis partes defertur: siquidem in ore praemansum leviter, subiens concoctionis futurae praeparationem per oesophagum in ventriculum quasi quoddam in medio constitutum promptuarium illabitur, in quo tandiu retentum donec plena et absoluta concoctio in chylum transeat, per sibi continuas venas in quibus sanguinis aliquam adumbrationem capessit in hepar eius sedes coquendum ingreditur, illicque sui παρεγχύματος ingenito calore facultateque insita in veram sanguinis speciem immutatum, iusta proportione in quaslibet etiam exiguas particulas distribuitur.

Cuius absolutio distributionis non prius est quam ad futura quae in omnes corporis partes fuerit nutrientis substantiae perlata qualitas, sanguis enim ubi primum ex amplioribus in angustiores venas unicuique parti a natura tributas quasi derivatione quadam adductus fuerit sensim commutatione ad earum naturam accedens per extrema venarum exilium oscula in omnes partis substantiam diffusus apponitur: tum demum concoctione assidua coactus continentes adhaerescit, ac naturae vi et universa partis substantia tandiu immutationem subit, quoad ei perfecto et usquequaque valeat assimilari, et expressam eius naturam, substantiam atque temperamentum referre, idque nutritionis beneficio concoctionis omnium fine, summaque naturalium functionum animanti conservando inditarum absolutione.

Hunc a prima sui constitutione ita procreatum, ut undequaque illius corpus innumeris propemodum symptomatum, ac morborum generibus perobnoxium subiaceat, prudens fabricatrix omnia omnibus alligans natura per communes venas, arterias, et nervos, per quas omnia perspiratum habeat et corporum confluxum, qua quidem arte sua opus ordinarie iuvantibus morbo sic praepeditis ut alimentum haud assumere valeant in vivis conservat. Siquidem ore vel oesophago ita male affectis ut in ventriculum haud quicquam ciborum deglutitorum prolabi concedatur aliam suppeditat viam per anum scilicet dum nutrientia infunduntur enemata quae ab intestinis delata in ventriculum in quo chyli, tum in iecur ubi sanguinis, postremo in membra in quibus veriam in substantiam sanguinis commutatio, aut saltem in intestinis ipsis χύμωσις, in venis αἱμάτωσις conficitur et quibus corpori morbo languenti aliquod accedit nutrimentum.

Neque solum in hoc uno remedii genere salutem aegrotantium natura provida collocavit, quando et per cutis poros substantiam aliquam animanti nutriendo aptam assumi posse sine extra controversiam, quasi succis aliquibus tenuibus et multi halitus in venas incidentibus concoctione ventriculi non praegressa quibus conficiatur: unde alimentum ab extima superficie ad interiora provocetur, quod et multitudo ipsa pororum, et qui ad cutem sit arteriarum pulsus, et vis attrahendi membrorum cuique parti insita, intus deductum levi negotio conficiat.

Quin etiam gratis odoribus recreatam naturalem facultatem aliquandiu subsistere variis experimentorum generibus compertum habetur, necnon in mulieribus praegnantibus ob earum lassitudinem cum alimenti penuria videtur abortus instare periculum, imposuisse umbilico (propter eius viciniam) emplastra nutrientia (penetrantibus admixtis qualia sunt mel et aromata in pulverem redacta quo facilius eorum vis ad interiora pellatur) peritisque prospere successisse testatur experientia, si praegnantium non in uno duntaxat remedii genere salus collocetur aegrorum, sed et cum clysmatis per anum iniectis, emplastra quoque umbilico imposita, et succi potentes adhibeantur, quas tamen non mediocre sit aegrotanti levamen allatura, semper tamen attrimus conandum ut aut per os quippiam in ventriculum infundatur alimenti, ex hoc enim certum est verius nutrimentum ceterisque membris accessurum.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE

Ergo alia nutritionis In Ægrotantibus quam per os via.

Asserebat Ægidius Le Tellier Lothar Nanceianus anno 1593.